

## DE DUOBUS REIS STIPULANDI ET DUOBUS REIS PROMITTENDI.

### 8.40.1

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Paulinae.*

Si duo pluresve rei cuiusdam, traditionem communiter in solidum inierint: cuicumque eorum, quamdiu res in eadem causa permanserit, si casus obtulerit, actio in solidum competit.

*PP. III non. Dec. Maximo II et Aquilino cons.*

[a. 286]

### 8.40.2

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Diogeni.*

Creditor prohiberi non potest exigere debitum, cum sint duo rei promittendi eiusdem pecuniae, a quo velit. Et ideo, si probaveris te conventum in solidum exsolvisse, rector provinciae iuvare te adversus eum, cum quo communiter mutuam pecuniam accepisti, non cunctabitur.

*PP. V k. Mart. Diocletiano III et Maximiano, AA. cons.*

[a. 287]

### 8.40.3

*Idem AA. et CC. Fabricio.*

Exprimere debueras tuis precibus, utrumne in partem an in solidum singulis vos obligaveritis ac duo rei promittendi extiteritis, cum, si quidem ab initio unusquisque pro parte sit obligatus, egredi contractus fidem non possit, si vero in solidum, electio rescripto adimi non debeat.

*S. id. April. Byzantii AA. cons.*

[a. 293]

### 8.40.4

*Idem AA. et CC. Andronico.*

Propter mutuam uni datam pecuniam aliis reis promittendi factis, ob non numeratam sibi pecuniam obligationem remitti desiderio postulantium iura refragantur.

*S. Vid. Febr. Sirmi CC. cons.*

[a. 294]